Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

ceteris preponeretur in scismatis remedium factum est ne vnusquisque ad se trahens christi ecclesiam rumperet. Nam et alexandrie a marco euuangelista vsque ad heraclium et dyonisium episcopos presbiteri semper vnum esse electum et in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant. Quomodo si exercitus imperatorem faciat aut dyaconi eligant de se quem industrium nouerint et archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinacione episcopus quod presbiter non faciat. Nam altera romane vrbis ecclesia altera tocius orbis estimanda est et gallie et britanie et affrica et persis et oriens et india et omnes barbare naciones vnum christum adorant vnam obseruant regulam veritatis. Si auctoritas queritur orbis maior est vrbe. Vbicumque fuerit episcopus siue rome siue engubii siue constantinopoli siue regii siue alexandrie siue tanis eiusdem meriti eiusdem et sacerdocii. Potencia diuiciarum et paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem episcopum non facit. ceterum omnes apostolorum successores sunt. Sed dices quomodo rome ad testimonium dyaconi presbiter ordinatur. Quid michi profers vnius vrbis consuetudinem. Quid paucitatem de qua ortum est supercilium in leges ecclesie vendicas. Omne quod rarum est plus appetitur. Pulegium apud indos piperis preciosius est. dyaconos paucitas honorabiles presbiteros turba contemptibiles facit. ceterum in ecclesia eciam rome presbiteri sedent et stant dyaconi licet paulatim increbrescentibus viciis inter presbiteros absente episcopo sedere dyaconum viderim et in domesticis conuiuiis benedicciones presbiteris dare. Discant qui hoc faciunt non se recte facere sciant et audiant apostolos. Non est dignum vt relinquentes dei verbum ministremus mensis. Sciant quare dyaconi constituti sint. legant acta apostolorum. recordentur condicionis sue. presbiter et episcopus. Aliud etatis Aliud dignitatis est nomen. vnde et ad tytum et ad tymotheum de ordinacione episcopi et dyaconi dicitur. de presbiteris omnino reticetur quia in episcopo et presbiter continetur. Qui prouehitur de minori ad maius prouehitur. aut igitur ex presbitero ordinetur dyaconus vt presbiter minor dyacono comprobetur in quem crescit ex paruo. aut si ex dyacono ordinatur presbiter nouerit se lucris minorem sacerdotibus esse maiorem. Et vt sciamus tradiciones apostolicas sumptas